

Johann Klein von

**Rector Academiæ Rostochiensis Johannes de Klein ... Solemnes exeqvias Viri ...
Dn. Henrici Konovii, J.U. Doctoris ... Anno cl lcc xiii d. IX. Octobris A Vidua &
Liberis ... parandas indicit ...**

Rostochii: Wepplingius, [1713]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766636399>

Druck Freier  Zugang



Klein, J. v.
in
H. Konov.
Rostock, 1713.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn766636399/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766636399/phys_0003)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn766636399/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766636399/phys_0004)

DFG

14.

105.

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
JOHANNES de KLEIN,
Serenissimæ ac Potentissimæ Reginæ
 Borussorum Videlæ, & Serenissimi Ducis Regentis Me-
 ckenburgici Consiliarius intimus, Cancelarius, Consistorii Director,
 J. U. D. ejusque Antecessor Primarius & Ordinarius.

Solemnes exeqvias

VIRI ILLUSTRIS, PRÆNOMBLISSIMI, CON-
SULTISSIMI, ATQ; EXCELLENTISSIMI DOMINI,

DN. HENRICI
KONOVI

J. U. Doctoris famigeratissimi & illu-
 stris Dicasterii Provincialis in incluta Gustrovianum
 vitate nunc florentissimi ASSESSORIS splendidissimi
 & de Patria universa meritissimi,
 Anno clo lccc xiii d. IX, Octobris

A

VIDUA & LIBERIS moestissimis Gustrovii decenter
 parandas indicit.

Memoriamq; Tanti VIRI hoc ipso
 die debito affectu recolendam, & perpetuo conservandam,
 Omnibus Omnim Ordinum Civibus Academicis ea, qua
 decet, humanitate & studio commendat.

ROSTOCHII Typis JOH. WEPPLINGI, SEREN. PRINC.
 & UNIV. TYPOGR.



4



Orporis ergastulo
dimitti Captivam
animam; Solatii genus in
morte est præstantissimum.
Qva ipsa gnome sub finem RE-
CTORATUS ACADEMICI

qvintum nunc Programma fu-

nebre inchoamus, utpote in qvam funeris WEN-
DECKERIANI indictio publica d. XXVII. Junii anni
currentis desierat. Atqve ea res ita cum vero ex
omni parte congruit, ut bardus sit & stupidus & à
fana ratione alienus, qvi non protinus eidem ad-
sentiatur. Vita enim hominum tot miseriis est
constipata, tot malis adficta, tot calamitatibus
etiam præter spem evenientibus obnoxia, ut, qvi ea-
dem fruuntur, in squalore carceris cujusdam hære-
re non videantur, sed jure summo dicantur. Præ-
cipue illis, qvi extra revelationis divinæ lucem
positi in solis Philosophiæ campis degunt atqve de-
certant. Corpus illis cum Platone, Philosophorum
excellentissimo, carcer est, in qvem anima detrusa
tanquam in ergastulum, miserrimos agit dies; in
quo mens, tanquam in captivitate Ægyptiaca de-
tenta, raro ad liberiorem evolat auram; in quo
quotidianæ ærumnæ, succedentes sibi in vicem ægritu-
dines, perpetuo nexu colligata dolorum vincula mor-
tales constringunt.

Et sane mirum non est, eò cogitationum dedu-
ci qvempiam, qvi vanitatem rerum mundanarum
solicite secum perpendit, & qvorum denique cun-
cta

Et a ruant, in exitium scilicet & primum nihil, accurate investigat. Docet hoc non tantum experientia, testis omni exceptione major, sed ipse Spiritu Sancto commotus Regum sapientissimus SALOMO, cuius testimonium præ reliquis magni est facendum. Ita autem perorat in libro Koheleth, per providentiam divinam in nostri emendationem adserato, capitis primi segmento secundo, **אָבֶל הַבְּלִיָּה**, *vanitas vanitatum*, vel juxta idiotismum linguae Sanctæ, *vanitas vanitas vanissima*, **הַכְלֵה הַכְלֵה**, *hoc omne vanitas*.

Jam Hieronymi temporibus multi quidem de auctoritate allegati libri Canonica subdubarunt; Eo quod varia parum convenienter dicta, imo male & perverse pronunciata contineret. Adduxerunt videlicet: In creationis historia ipsum Deum creaturas suas approbantem sisti, Gen. cap. I. v. 31. *Tum inspexit Deus, qvicq; vid fecerat, ecce autem bonum erat valde;* Cum in contrarium eat auctor Koheleth, adserendo, **הַכְלֵה**, *hoc omne vanitas*. Falsum esse, pergunt, quando idem c.I.v.4. doceat, *terram permanere in seculum*, vel, uti versio habet B. Megandri, *die Erde bleibt ewig*; Cum nihil certius sit, quam totam hanc mundi fabricam in judicio extremo cœlestibus ignibus devastatum iri. Addunt porro, favere eundem Epicuræis seculove deditis animis, quando jubeat edere, bibere, hilarem se gerere, cap. II. v. 24; Cum contra gentium Apostolus lætitiam in Domino commendet, & nervosè in primis I. Cor. VII., 30. si cupiat, ut qui gaudent, sint ut non gaudentes, & qui emant, ut non obtinerent, & qui utuntur hoc mundo, ut non abutentes; *præterire enim habitum hujus mundi.* Nec denique approbari posse, aijunt, sententiam cap. III. v. 19. -- 21. propositam,

quandoquidem ea immortalitatem animæ admodum
convellat, hominemque in statum bestiarum ratione
carentium detrudat, cum uterque & hominum &
brutorum spiritus in unum eundemq; locum post
mortem à Salomone apparetur relegetur.

Enim verò si ita judicare, ex apparentibus dun-
taxat, licet, tum nulli scripto biblico sua constabit ve-
ritas. Nequaquam enim, ut à posteriori incipiamus,
immortalitatem animæ in dubium vocat Ecclesiastes,
qui c. XII. 7. sollicitè inculcat, *pulverem tantum*, sive
humanum corpus, *redire in terram*, quæ admodum
fuerat; *Spiritum* autem, sive animam corpori unitam,
post discessum suum ab eodem, *redire ad DEUM*, qui
dederat illum. Unde patet, cap. III. v. 19. & 20. sermonem
esse de externis modo accidentibus, juxta qvæ homi-
nem inter & bestiam (in primis, si redactionem corpo-
ris in cineres spectes) exigua est differentia: Versum
verò 21. ex Hebraismo explicari debere per interroga-
tionem: *Wer ist es / der ich bei der so grossen Sicher-
heit der Menschen recht zu Hertzen nehme/ daß der O-
dem des Menschen aufswerts fahre/ ut cap. XII. v. 7. o-
stensum, und der Odem des Viehes unterwerts un-
ter die Erde fahre?*

Qvando verò cap. II.
24. esum, potum, hilaritatem commendat, non mi-
nus moderationem præscribit, ac alii Viri *contritus*,
quia *partim* legitimum ejusmodi rerum terrenarum
usum à manu DEI venire contendit. c. Aber solches sa-
he ich auch / daß von Gottes Hand kommt; *partim*
expressis verbis cap. XI. 9. juvenibus omnibus, quot.
quot oblectationibus hujus seculi essent abusuri, tre-
mendum Dei judicium & severam de omnibus illicitis
factis reddendam rationem, gravi sermonis apparatu
inculcat, ut Epicureismum potius tollat, quam fove-
at.

at. Dum insuper Cap. I, v. 4. æternitatem quan-
dam terræ statuere videtur; illud videtur tantum,
revera non statuit. Opponitur invicem duratio ho-
minum & telluris, doceturque, unam familiam post
alteram extingui, terram vero in singulis istis muta-
tionibus nulli interitui hactenus fuisse obnoxiam,
sed in *seculum* durare. Ubi linguarum peritis constat,
vocem שׁוֹלֵם non semper æternitatem, sed saepe
longum tantummodo temporis spatium denotare.
Jam vero terra per quinq; mille & aliquot centum
annos jamjam perficit, & multa millena hominum
millia gestavit olim, sepelit olim; gestat nunc, se-
pelit nunc; gestabit porro, sepeliet porro; quousque
dies ejus decretorius nondum advenit.. Hinc be-
ne nonnemo: *Die Erde / inquit, als eine alte und
verlebte Mutter / überlebet ihre junge und vigereuse
Kinder.* Multo minus denique vitio verti potest
Salomoni illud *הַכָּל הַבָּל hoc omne vanitas*, quia de
fragilitate, inconstantia, & deploranda omnium re-
rum vicissitudine loquitur, ipsas vero creaturas in
se bonas & sapientissime productas nequaquam vi-
tuperat; conquerens tantummodo, quod per pecca-
tum homines eo infelicitatis redacti sint, ut creature-
rum bonitate diu & cum perpetua quadam delecta-
tione frui nequeant. Hinc illæ lacrumæ: Hinc illa
contestatio: *Vanitas Vanissima, hoc omne vanitas.* Vel
ut apprime habet Hugo à Victoria cognomen ducens:
*Mundus hic est vanitas Vanitatum, hoc est, universitas &
complexio vanitatum; conflatur enim ex singulis singula-
rism rerum vanitatibus.*

Neq; tamen sine singulari Supremi numinis provi-
dentia factum, ut ipse Rex quidam potentissimus, feli-

cissimus, sapientissimus, degustatis à se omnibus mundi deliciis, investigatis earundem ortu, statu, atque occasu, tanto loquendi pondere exclamet: *Hoc omne vanitas!* Etenim si homo de plebe, cui nunquam contigit laute vivere, magnifica videre, jucunda audire, pretiosa possidere, gloriose regnare, contemneret mundana; nœlis risum prudentioribus deberet, & eodem contemtu ipsius sermo tanquam insulsus ac insipidus exsibilaretur. Nunc SALOMO loquitur, (quem si dico, compendium felicitatis, sapientiaeque sisto:) Et quidem ex propria experientia, non ab aliis in eam sententiam inductus. Quanto majoris igitur momenti est tam præmeditata Regis summi de vanitate universali peroratio! Eleganter in hanc rem fluunt verba celeberrimi in aula & Ecclesia onolaina Theologi Henr. Tietzmanni im gründlich erklärten Prediger Salomo Edit. Norimb. 1705. 4. p. II. qvæ lectori non futura sunt ingrata: *Der weise und wunderbare GOT hat nicht sonder Ursach einen so weissen / reichen/ herrlichen und unvergleichlichen König zum Prediger von der Eitelkeit ausgewählt / und ihn unmittelbar angetrieben / dero Art und Weise in allem irrdischen zu zeigen. Wäre etwa Jeremias aufgetreten und hätte gesagt: Es ist alles ganz eitel! bald würde ein hönisches Welt-Kind versetzet haben: Was will doch dieser von der Eitelkeit reden / er ist von Anachoth, oder von Elendedorf. Sein Lebenlang hat er nichts herrliches und anmuthiges gesehen / und dahers meynet er / es sey in der ganzen Welt / wie in seinem Vaterlande.* Hätte Amos und Petrus dergleichen gethan/ und etwa wie Salomon geprediget/ alles/ und also auch nach dem 2. Cap. Gärten/Lust - Gärten/ Weinberge/ schöne Häuser/ Silber und

und Gold / Säyten-Spiel / und andere Ergeblichkeiten
wären eitel und nichts. Viel würden gesagt haben:
Was kan ein Hirt von Thekoia , oder ein Fischer aus
dem Jüdischen Lande darvon urtheilen ? Dergleichen
Leute haben manchmal nicht einmal einen schnen
Lustgarten / ein prächtig Haß / oder etwas anders
herrliches gesehen / und dahero bilden sie ihnen ein/ als
les/was sie nicht in ihren Hirten - und Fischer-Hütten
finden/tauge nichts. Alle solche und andere Einwürfs
se menschlicher Vernunft wegzuräumen / stelle der
Herr einen solchen Prediger auff / der alles gehabt/
alles genossen / und alles versucht.

Reveraigitur res ita se habet, ut singula in hoc orbe
sint fluxa, caduca, vana. Non licet in angustis hisce limi-
tibus macrocosmum percurre; microcosmus, homo,
quid est nisi vanitas? *Mens* qvidem ejus immortalis est,
sed tamen, qvia per lapsum Adami & ipsa peccato origi-
nali contaminata, multis postea vanitatibus, qvoad
corpori mortali unita manet, subjacet. Hinc in-
tellectus coecitas; Hinc voluntatis aberratio; Hinc
impotens affectuum regimen; hinc inquieti dies; hinc
ærumnosæ noctes. *Corpus* vero ex materie terrena
conflatum adeoque mortalitati obnoxium, quid est
nisi vanitas? Atque ut supersedeam, cuncta ejus bo-
na sub examen revocare, sanitatem tantummodo ex-
pendamus, annon & ea sit vana, hoc est, variabilis &
inconstans. Qvot, qvæso, morbi invadunt corpus,
ita, ut in illis circa quælibet membra enarrandis
aliquot plagulæ possent insumi, & tamen multi so-
lertia scriptoris fugerent! Qvamprimum enim hu-
mani corporis dispositio naturalis variatur, ita, ut
consuetæ operationes vel non amplius edantur, vel
tamen

tamen , uti decebat , non peragantur , tum morbus ad-
est , tum sanitas convulsa jacet ac periclitatur . Jam
vero , qvam innumera sunt , qvæ statum membro-
rum naturalem , cum intra , tum extra , variare , turba-
re , & confundere queunt . Relinquo hoc vestræ me-
ditationi , & addo tantum , qvoties hoc fit , (contingit
autem qvotidie) documentum dari infallibile , qvod
sanitas sit vana . Succurrit qvidem Divina ope adju-
tus medicus prælenti malo , & læpe felicissime curat .
ægrum . Sed nova vanitas , qvandoqvidem recidi-
va , ut loqui amant , metuenda est , qvæ perniciosior
habetur , qvam ipsa prima ægritudo . Qvod si & hic
saluberrima medicamenta successu prospéro non ca-
rent , tum alia ex transverso incurrit morborum seges ;
Et sic sanitas , dum ab uno latere hostem amolitur ,
ex altero latere novas sicarii insidias metuendas ha-
bet . Qvibus deniqve succumbit , ita , ut verum sit
illud Siracidæ dictum , qvod tradit . libri sui cap . X .
v . 9 . sq . juxta mentem B . Lutheri : Was erhebt sich die
arme Erde und Asche ! Ist er doch ein ettel schändlicher
Koth / weil er noch lebet / und wann der Arzt schon
lange dran flicket / so gehets doch endlich also : Heute
König/morgen todt .

Quid verò in tanta rerum vanitate ve-
rus agit Christianus ? Extollit ille cogitationes suas
ad vitam post hanc futuram meliorem , & spe indubita-
ta redēptionis ex carcere mundi , & eductionis ex
ergastulo corporis , animam pascit refocillatq . Sub
sole enim vanitas , ast *suprasolem veritas* .

Noverat etiam hanc , de qua dictum hactenus ,
vitæ humanæ conditionem Noster beate defunctus ,
Vir Illustris , Prænobilissimus , Consultissimus atque
Excel-

Excellentissimus Dominus, Dn. HENRICUS KONOW
NOVIUS, J.U. Doctor celeberrimus, & Dicasterii
Provincialis, in inclita Gustroviensium Civitate nunc
florentissimi, ASSESSOR splendidissimus; sed non no-
verat tantum, (notitia enim sine praxi salutaris non
est;) verum & pro ea, qva prae aliis excellebat, pietate,
cogitationes suas eo dirigebat, unde infelices redire,
aut spe frustrari concepta non poterant; cœlestis intu-
felicitatis possessionem, post beatam avavos certo at-
tribuendam. Nostrum est, ut exemplo tanti VIRI
excitati, similem induamus mentem, & simul memo-
riam ejus sanctam apud nos servemus, & laudabi-
lem vitæ ejus cursum ex more academico, quantum
ejus certiores fieri potuimus, debite recensentius.
Natus autem est VIR modo dictus Excellentissimus
in Metropoli Mecklenburgica; Rostochium nomino,
urbem multis nominibus apud exterros quoq; in lau-
de positam, A. MDCXLIX, ubi tamen dies nativita-
tis accurate determinari non potest.

Pater ipsi obtigerat Vir suo tempore Specta-
tissimus JOHANNES KONOW, Civis & Nego-
tiator apud nos inter præcipuos conspicuus; & Mater
MARGARETHA BYLEN, foemina virtutibus sui
sexus maxime corusca; qui utrique parentes jam
pridem beatæ æternitati sunt inserti.

Majores qvod attinet, tunc ex Linea quidem
Paterna avum habuit Hans Konow / Civem Mal-
chinensem præcipuum, aviamque CATHARINAM
Knapen / HENRICI Knop / Consulis in Civitate
Ducatus nostri Gnoyensi suo tempore laudatissimi, &
ILSABE DETLAUEN, filiam optime institutam.
Ex Linea vero Materna avus fuerat Bagel Byle, Civis
Rostochiensis inter suos maxime conspicuus, avia-

que CATHARINA Dethloffen / Jürgen Deth-
loffs / Civis itidem Rostochiensis primarii, & AN-
NÆ Schmidlowen / filia dilectissima. Proavum
porro *Paternum* nominare possimus MARTINUM
Konow / Consulem Malchinensem meritissimum, &
Proaviam MARGARETHAM Sadewaters. Pro-
avum autem *Maternum* rescivimus ejusdem cum avo
materno nominis, Pagel Byle / Civem pariter in-
clutæ hujus urbis Rostochiensis, & Proaviam CA-
THARINAM Niemers. Ubi illud memoratu indi-
gnum non est, qvod altera Proaviarum, (an MAR-
GARETHA Sadewaters, an CATHARINA Ni-
mers, fuerit, definiri haud poterat;) singulari ista
& rarissima felicitate fuerit coronata, ut amplius
qvam centum & viginti ex filiis filiabusque nepotes
& neptes, proneptes atqve proneptes suis oculis
vegeta florensque viderit, & benedictionem illis ma-
ternam religiosa ex pietate impertiverit. Atqve
ex hac recensione Familia KONOVIANÆ jam satis
patet, qvam probis, honestis atqve Christianis Paren-
tibus fuerit ortus beatæ Noster defunctus, qvi qvam-
vis illustris profapiæ non fuerint, honestate tamen
& pietate nemini cesserunt, ideoqve etiam in Fami-
liis suis benedictionem Divinam largissimam sense-
runt. Qvorum sine dubio etiam spectat numerosa
proles, juxta Psalmum CXXIX. ubi inter alia noten-
tur verba: *Der HErr wird dich segnen aus Zion/das*
du sehest deiner Kinder Kinder.

Postquam sacro baptismi fonte tinctus e-
rat, jam crescentibus annis nihil magis in votis
habuerunt supra dicti lectissimi Parentes, quam
ut filius à DEO datus liberalibus artibus & scienti-
is imbueretur, cum noscent, quod bene quidem a-
gan t

gant ii , qui liberos generant reipublicæ , ne huma-
num genus intereat ; sed quod melius agant , qui be-
ne moratos , & vel artibus mechanicis , vel studiis
altioribus probe innutritos filios relinquent , ut ho-
minum cœtui rectius consulatur . Perspecta igitur
pueri indole & capacitate , per domesticos Præcepto-
res prima literaturæ humanioris elementa solicite
instillari , nulla sumtuum habita ratione , curarunt ;
Dein vero ad confirmandos progressus A.MDCLXV.
ad Scholam *Mindensem* in Gvestphalia pulcrè tunc
constitutam miserunt . Ibi per integrum qvin-
quennium & qvod excurrit , substitit , & tanquam
arbor satis radicata eximios sapientiaæ Divinæ & hu-
manæ succos attraxit ; Cum , qvemadmodum arbor
sæpe ex hoc in alium hortum translocata , propter
soli diversitatem , raro in proceritatem quandam ex-
crescat , aut speratos fructus ferat : Ita etiam discipu-
lus sæpe mutans scholas aut magistros , raro fiat eru-
ditus . Inprimis vero fidelissimam ibi nactus est ma-
nudictionem Conterranei sui , Viri Præcellentissimi
atque Doctissimi , Dn. M. HARTMANNI MOE-
RINGII , Scholæ Mindensis *Rectoris* meritissimi ,
qui partim ob communem patriam , partim ob
affectum in Beatum nostrum tenerorem ita
ejus studiis præfuit , ut in publicum qvoqve eum
producere cum eruditis commilitonibus certamen ,
& in cathedra scholastica peroratarum sistere non eru-
buerit . Fecit id singulari animi contentione KONO-
VIUS , & Præside suo Rectore publicam *Disputationem* ,
theses miscellaneas Theologico - Ethico - Logicas &
Philologicas sistentem , habuit , & Respondentis mune-
re cum laude & aplausu est defunct⁹ ; deinde addente
stimulos Præceptore , gloriae ulterioris , licto & lau-

dando scholasticorū exemplo, cupidus, in oratione quoque solenni de arcanis Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ, & Politicæ eloquentiam suam toti auditio comprobavit. Prælusit jam tum futuræ magnitudini, & spem de se fecit haud vulgarem. Unde jam studiis majoribus aptus academias quoque ingredi, & scientiarum thesauros ulterius indagare constituit, quorum non exiguum partem jam in schola Mindensi collegerat. Vicina erat ei honestum propositum executuro academia Hasso-Schaumburgica, quæ Rintelii est, cujus A. MDCLXX. Civis factus ductu JCtorum ibi celeberrimorum, DN. D. DAVIDIS PESTELII, & DN. D. BERNHARDI SCHULTZI, fundamenta Jurisprudentiæ ad ductum Institutionum Augustissimi Imperatoris *Justiniani* addidicit. Eodeni tamen adhuc anno, quia Voluntati suorum repugnare inconsultum fore arbitrabatur, valelixit Musis Rintelienibus, & ad florentissimam adhuc hodie & inclutam maxime academiam Jenensem propter Salam itinere directo, in via simul salutavit athenas *Helmostadienses*, & toto orbe decantatas *Lipsienses*. Jenam cum adventasset, non otio aut libertati se tradidit, sed Themidi eidemque Divæ totum sese consecravit. Siquidem id testantur Collegia publica pariter ac privata, Lectoria, Examinatoria, Disputatoria famigeratissimorum ibi docentium JCtorum, immortali gloria dignorum, STRAUCHII, SCHROEDTERI, FALCKNERI, ADR. BAYERI, diligentissime ab ipso per integros duos annos visitata, & in succum atq; languinem conversa. Quo tempore utiliter exacto, domum evocatus est à Parentibus optimis, ut & ipsi gaudium ex præsentia filii tam probi, tamq; erudit, non exiguum persentirent. Neq; vero
obnub
cres-

eredendum, post redditum in patriam alacritatem stu-
diis incumbendi deposuisse KONOVIUM, qvin poti-
us adserendum cum B. *Habichborstic* in Rostochio lite-
rato. p. 252. quod à parentibus domū remeare iussus,
in academia hac patria non minori fervore studia
juris continuando , nihil omnino earum reliquerit
rerum,quæ proposito servire suo, aut exsequendo fi-
ni, quem in academias veniens obtenderat,ullo modo
facere viderentur. Siquidem primum non modo sub
moderamine D. CASPARI HABERMANNI , Instit.
Prof. Eckholti Compendium Pandectarum tractavit,
sed & in Collegio ejus *Ludwelliano* Disputatorio sæpius
publice respondendo , industriam & profectus acade-
miae probavit : Deinde aliorum quoque, speciatim D.
HENRICI RUDOLPHI REDEKERI, Collegia in ex-
ercitationes *Schnobelianas* & in Jus Civile ac Feudale,
itemq; *Wesenbecianum*, utiliter frequentavit, sub ejusq;
præsidio disputationem primam *Schnobelianam* publi-
ce propugnavit. Hactenus ille diligentia KONOVI-
NÆ publicus & ex rei veritate testis. Multi, præcla-
ris factis progressibus, deinde domi delitescunt, & in
publicum producere , qvæ didicerunt , aut donis
divinitus concessis commoda & augmenta societatis
humanæ promovere non desiderant. Hos onera
dixeris terræ , non ornamenta. Aliter affectus erat
Beatus noster , qui doctrinæ juridicæ latices non sibi;
sed aliis hauserat, eosdemque largiter huc & illuc di-
manare patiebatur. Persuasus videlicet, Jurispruden-
tiam Theoreticam sine praxi languere , atqve hic
etiam nudam contemplationem, solis minutis per-
vestigandis intentam , parum utilitatis adferre. Un-
de à paternis causis initio facto, ulterius adscendit,
& aliorum pariter Clientum in foro patrocinium,

per aliquot annos suscepit, atque ita idoneum se
demonstravit, qui Consultationibus & Procurationi-
bus in Majoribus Dicasteriis præficeretur. Interim,
quum laudabilis consuetudo sit, neminem tam gravi-
munere exornare, nisi de cuius fide, integritate, atq;
eruditione solemnia prostent testimonia, Excellentissi-
mus quoque noster KONOVIUS documenta sui
dare haud recusavit, nec à cathedra disputatoria
abhorruit. Siquidem A. MDCLXXXII, d. 29. Augu-
sti Præside D. GEORGIO RADOVIO, Antecessore
& Facultatis Juridicæ Seniore gravissimo, Disputati-
onem Inauguralem proposuit & solertissime defendit,
quæ sane controversiam practicam difficultatibus
multis circumvestitam continebat, quæstionem nem-
pe : *Utrum & quatenus Dominus gesta à falso Procura-
tore in sui favorem, finita per sententiam instantia, ob-
jectaque à parte adversa jam de nullitate protestatione,
possit ratihabere?* Ex L. 24. C. de Procur. juncta L. 56. ff.
de judiciis. Eodem simul die ab eodem suo DN. Præ-
side & ad actum Promotorium Decano, titulo & pri-
vilegiis j. U. Licentiati ex merito fuit ornatus. Cui ob-
singularem modestiam A. demum MDCLXXXIX.
d. 7. Novembris summum in Jure honoris gra-
dum, *Doctoralem* scilicet dignitatem, succedere vo-
luit, Decano & Promotore spectabili D. JACOBQ
LEMKENIO, & Pro Cancellario illustri D. JO-
HANNE FESTINGIO, Antecessoribus in alma
quondam nostra celebratissimis, & nunquam inter-
morituris. Ex utroque Promotionis, tam in Licen-
tiatum, quam in Doctorum, tempore, incredibile est,
quanto conatu, quanta assiduitate, quanta fide-
litate, res adfictorum restituere, labantibus causis
mature succurrere, & conscientiosum pariter ac cir-
cum-

cum spectum Advocatum cum in judiciis hujus Urbis inferioribus, tum frequentissime in illustrissimo Dicasterio Provinciali Meclenburgico se exhibere adlaboraverit.

Testes produci possent innumeri, qvibus antiqua VIRI de Patria meritissimi fides, candor, integritas perspecta fuit; Sed loqvantur publica iterum testimonia per novorum honorum iteratam collationem se plus satis exserentia. Siquidem Amplissimus Urbis hujus Senatus A. MDCXCIX. d. 24. Febr. dignitatem ipsi Senatorian, & cum ea Inferioris Iudicij Praedium fulgidissimum obtulit, & hoc pacto ad majora & ampliora in patria officia suo tempore obeunda aditum paravit. Verum contineri diu non potuerunt Excellentes ejus virtutes intra muros Rostochienses, sed mox longe lateq; increbuerunt. Unde etiam ex singulari Divini numinis providentia contigit, ut qui Rostochii quidem, adeoq; & Rostochio erat genitus, non soli Rostochio, sed toti regioni & singulis Potentissimi Ducatus Mecklenburgici Urbibus in Illustrissima Curia Provinciali, quæ paucos adhuc ante annos Parchimum, nunc vero Gustrovium, Sedem Principalem, nobilitat, tanquam ASSESSOR Excellentissimus, saluberrimis suis Consiliis inserviret, & cum reliquis splendidissimis ejusdem Dicasterii Dnn. Consiliariis jus diceret in causis Civium Mecklenburgicorum gravissimis & ponderosissimis. Vale igitur dixit amantissimæ suæ Patriæ, difficulter iplum dimittenti, & Parchimū adveniens cum applausu inter ASSESSORES LONGE EXCELLENTISSIMOS connumeratus est A. MDCCII. Facilium conjectatu est, qvam promtum, quam sagacem, quam eruditum, quamq; justum VIRUM tantum manus

imunus exigat, si recte velit ac debeat administrari. Administravit autem illud Excellentissimus Dn. ASSESSOR tanta cum fidelitate, tanta cum prudentia, tanta cum pietate, ut ipsa invidia ne hiscere quidem contra audeat. Ex qvo judicamus merito, quam *promptus* in audiendis partibus, quam *sagax* in consiliis inveniendis, quam *eruditus* in responsis formandis, & quam *justus* in exequendis sententiis extiterit immortalis Noster KONOVIUS.

Minimam partem laudum ejus dictam esse, cognoscite & persuasissimum habete, Cives aliiq; Lectores OO. OO, Honoratissimi, quibus hoc luctu obsitum scribendi genus ante oculos versabitur. Funeris enim tam acerbi indictio calamum impedit, qvo minus in laudes ampliores excurrat, & dum dolor libere vagatur, laudationē contrahi & arctiorem fieri necesse est. Restant igitur breviter tantum recensenda domestica beati Dn. ASSESSORIS vitæ instituta. De qvibus rescivimus, quod A. MDCLXXXII. in vitæ lehimentum thori sociam adsumserit, Virginem lectissimam, corpore & animo formosissimam, CATHARINAM Berends/ Viri Nobilissimi & Spectatissimi Dn. HENRICI Berends / S. R. Maj. Sueciæ Vestigalium apud Sundenses Inspectoris meritissimi, & Fœminæ Virtuosissimæ, Dnæ TILESIAE Maeszen/ Filiam probe educatam, cum qva felicissimum & fœcundum habuit conjugium. Siqvidē quaduplicem ex isto prolem suscepérunt optimi Parentes, CATHARINAM nempe DOROTHEAM Anno 1684. natam, sed eodem iterum piè denatam; JOHANNEM HENRICUM, qvi virtutum Paternarum ex aste hæres vestigiis jam B. Dn. Parentis summa cum nominis gloria insit,

stit, & ceu *Advocatus immatriculatus Dicasterii Gustro-*
vensis Provincialis præclaram suam in Praxi Juridica
promptitudinem atque eruditionem qvotidie demon-
strat; Et Virgines duas lectissimas adhuc super-
stites, probitate, pulchritudine, & morum suavita-
te elegantiaqe summopere commendabiles, AN-
NAM ELISABETHAM, & ANNAM CATHARI-
NAM DOROTHEAM; Quibus omnibus cœlestem
gratiam, & in præsenti tristitia copiosissimas
Spiritus Sancti consolations, & providam DEI O.
M. curam ex animo optamus. Sensit autem etiam in
hocce vitæ genere B.DN.ASSESSOR, quod supra copi-
osius est expositum, *vanitas vanissima, hoc omne vanitas!*
Siquidem gaudiū in Conjuge exoptata reperta maxi-
me inconstans esse deprehendit, cum A. MDCXCV.
d. ii. Aug. suavissimam Vitæ comitem tumulo imitte-
re cogeretur. Acquievit tamen in cœlesti disposi-
tione, & dein mitigato dolore, cum res familiaris
exigeret, secunda vice nuptias celebravit ANN.
MDCXCVII. d. 12 Augusti duorum annorum vi-
duus, cum Virgine lectissima, ELEONORA
MARGARETHA Schleunen / VIRI Perquam Stre-
nui, Prænobilitissimi, atque Amplissimi Domini B.
CHRISTOPHORI Schleun / in exercitu Sacræ
Regiæ Majestatis Suecicæ fortissimo Judicis milita-
ris Generalis (*General Auditeur* Gallice vocant,) meritis-
simi, & foeminae Virtutum omnium splen-
dore nulli cedentis, Dnæ MARGARETHÆ Gro-
then / filia natu majore: Cumque illa à primo con-
jugii die tam pacate & amice vixit, ut nunquam
in gratiam cum ea redire opus habuerit, quamquam
mutui amoris carissima pignora ex amplexibus
Conjugalibus nulla fuerint secura. Grave igitur
vulnus est, quod dimidia Cordis sui parte ablata
sentit

C

lentit Incomparabilis Matrona , modo Conjux sua-
vissima , nunc Vidua luctuosissima . Tristis enim
res est Viduitas , & calamitatum non infima ; quam
ipsam tamen nolumus exaggerare , ne adflictæ ad-
datur adflictio : Sed potius summa animi Conten-
tione vovemus , ut is , qui Viduarum se vocat defen-
jorem ac Patronum , etiam hēc auxilio suo præsen-
tissimus esse , & quia ipse in tristitiam insignem con-
jecit , solatia omnimoda clementissime sufficere atq[ue]
subministrare velit .

Ultima Beati qvod concernit , firma ceteroquin
valetudine erat à DEO donatus , eaq[ue] per multos an-
nos inconcussa gavisus . At dum multo in gravissimis
suis muneribus labore , curis , imo & vigiliis opus
habuerit , mirum non est , si corpus viribus exhaus-
tum adventante senio languescere , & hinc inde
variorum morborum insultus experiri cœpit . Præ-
cipuum tamen Beato periculum creavit , & mortem
qvoq[ue] intulit Calculi dolorofissimus morbus , de-
quo ipsum Experientissimi Dn. Medici , qui curan-
do singulari cum dexteritate adfuit , testimonium
communicare potuissemus , nisi ipse per necessarium
iter à consignanda morbi historia fuisse impeditus .
Id satis unicuique constat , quod calculorum dolor
sit intensissimus , & integrum corporis habitum ita
defatiget , conquasset , & conturbet , ut tandem
vires naturales in angustias reductæ deficiant , & sic
mors , tanquam cruciatum illorum dulcissimus finis ,
acceleretur . Et quemadmodum in hoc morbo fieri
solet , ut interdum remittat , deinde verò acrius fure-
re incipiat ; ita etiam cum Beato nostro factum est ,
siquidem ille , cum duobus ante noviluntum diebus
ob retentam urinam ægre haberet , exente post
aliquot dies calculo satis spissæ magnitudinis , & uri-
na

na missa, qvæ graviorem solito habebat odorem,
ad diem integrum & dimidium admodum bene affe-
ctus videbatur. Sed major morbi vehementia inse-
cuta est, qva per continuos *viginti* dies excruciatu
die tandem XIX. elapsi mensis Septembribus placide
in DOMINO obdormivit, ætatis anno LXV. Laudan-
da interim est incredibilis in tanta calamitate Beati
Nostrí patientia, imo non laudanda solum, sed eti-
am, sicubi DEUS simili vel alio modo nos adfligere
voluerit, generose imitanda. Illa enim sola per omni-
potentem Spiritus Sancti gratiam suffultus animum
nunquam despondit, sed spei & fiduciae in meritum
Christi plenus saepè ingeminavit: Und ob es währt
bis an die Nacht / und wieder an den Morgen / soll
doch mein Herz an Gottes Macht verzweifeln nicht
noch sorgen. Et quid multis hic opus est, audia-
mus VIRUM facunda gravitate & gravi facundia
apud Güstrovientes fulgidissimum, Confessionari.
Beati vigilantisimum, qui sequentia coömunicavit:

IMMANUEL!

De Beata, B. Dni. (Tit.S) Assessoris H. KONOUEN, Consummatissi-
mi Jcti pariter ac Christiani probatissimi, Analyse hæc paucis
relata legat pius Lector:

Uti vixit, ita mortuus est.
Vixit in DOMINO, & mortuus in DOMINO.
Vivens vitam fidei, Divina adjuvante & confortante
Gratia, operibus bonis ostendit.
Et moriens in fide constanti animam Redemptori
Ardentissimis suspiriis traditam placide emisit.
Sanctus ergo Spiritus Creatorem, Redemptorem &
Sanctatorem æternis laudibus cfferat,
Et exanime corpus usque ad diem *ἀποκατάστασης*
mīrāw, superatis hujus seculi turbis,
in pace reqviescat! Sic optat

JULIUS ERNST HAHN,
Eccles Cathedr. Gustrov.
Con-

Consentimus nos omni modo tam religioso voto,
& cum de KONOVO nostro Excellentissimo nihil
amplius sit remansuram , quam recordatio ejus,
quandoquidem anima cœlesti suæ origini, & corpus
terræ, ex qua constabat , est redditum ; sanctissime
spondemus , memoriam VIRI antiqua & germana
fide prædicti , & Jureconsulti in DEUM, SERENISSI-
MUM PRINCIPEM , communem patriam , sin-
gulosque bonos, pii, obsequiosi , & fidelissimi , nun-
quam apud nos fore intermorituram . Hæcque cau-
sa est , Cives OQ. OO. honoratisimi , cur hæc no-
stra funebris scriptio sit suscepta , nempe *bene meritis*
aliquo modo gratiam referre. Id vero cum alias fre-
quenti comitatu demonstrare soleamus , & nunc ob
locorum intervalla corpore quidem comparere ne-
queamus : mente tamen hodie habitemus Gustrovii ,
mente exequias solemni ritu ibi deducendas comi-
temur . Quod si vero & aliis hæc invitatio aca-
demica ante oculos venerit , qui Cives nostræ almæ
amplius non sunt , ex humanitatis tamen lege etiam
illi precibus nostris locum dare non recusabant ,
idque cum meritorum Illustris DN. ASSESSORIS ,
tum proprii , fortèan mox futuri , funeris confide-
ratione . Quod supereft , tempore hocce adflictis-
simo , ubi tragicis casibus quotidianis ad beatæ mortis
meditationem vocamur , intentos in eam curam
nos esse oportet , ut neglectis vanitatibus mundanis in cœ-
lo constantia nobis habitacula queramus , & de talibus
sedibus simus solliciti , unde nulla hostium
violentia , aut minis , aut ignibus ater-
num poterimus exturbari .

P. P. In Academia Rostochiensi sub Sigillo RECTORALI ;
A. R. S. MDCCXIII. die Dionysii , hoc est , IX. Octobris , qui novi
MAGNIFICI RECTORIS electioni est sacer.









A B C D E F G H I J K L M N Focus O Balance Q R S T

qve CATHARINA Dethloffsen /
loffe / Civis itidem Rostochiensis pri-
NÆ Schmidlowen / filia dilectissima
porro *Paternum* nominare possumus /
Kono / Consulem Malchinensem mer-
Proaviam MARGARETHAM Sad-
avum autem *Maternum* rescivimus ejus
materno nominis , Bagel Byle / Civ-
clutæ hujus urbis Rostochiensis , & P-
THARINAM Riemers . Ubi illud me-
gnum non est , qvod altera Proaviarum
GARETHA Sadewatet / an CATE-
mers / fuerit , definiri haud poterat ;)
& rarissima felicitate fuerit coronata
qvam centum & viginti ex filiis filiabi-
& neptes , pronepotes atqve pronepti
vegeta florensque viderit , & benedictio
ternam religiosa ex pietate impetraveri
ex hac recensione Familiae KONOVIÆ
patet , qvam probis , honestis atqve Chri-
tibus fuerit ortus beatè Noſter defunctu-
vis illuſtris prosapia non fuerint , hon-
& pietate nemini cesserunt , ideoqve e-
liis suis benedictionem Divinam largi-
runt . Qvorum sine dubio etiam specie
proles , juxta Psalmum CXIIX . ubi int-
tur verba : *Der HErr wird dich regnen*
du sehest deiner Kinder Kinder.

Postquam sacro baptismi fonte
rat , jam crescentibus annis nihil ma-
habuerunt supra dicti lectissimi Pare-
ntut filius à DEO datus liberalibus artib-
is imbueretur , cum noſſent , quod ber-

gant ii , qui liberos generant reipublicæ ; ne huma-
num genus intereat ; sed quod melius agant , qui be-
ne moratos , & vel artibus mechanicis , vel studiis
altioribus probe innutritos filios relinqvunt , ut ho-
minum cœtu rectius consulatur . Perspecta igitur
pueri indole & capacitate , per domesticos Præcepto-
res prima literaturæ humanioris elementa solicite
instillari , nulla sumtum habita ratione , curarunt ;
Dein vero ad confitentes progressus A.MDCLXV.
ad Scholam M. Gvestphalia pulcrè tunc
constitutam ibi per integrum qvin-
qvenniū substituit , & tanquam
arboris Divinæ & hu-
madmodum arbor
ans locata , propter
quandam ex-
stiam discipu-
laro fiat eru-
sus est ma-
ræcellentissimi
HITMANNI MOE-
Rectoris meritissimi ;
in patriam , partim ob-
Nostrum teneriorem ita
ejus producere , ut in publicum quoque eum
& in catholica eruditis commilitonibus certamen ,
in scholastica peroratarum sistere non eru-
buerit . Fecit id singulari animi contentione KONO-
VIUS , & Præside suo Rector publicam *Disputationem* ,
theses miscellaneas Theologico - Ethico - Logicas &
Philologicas sistentem , habuit , & Respondentis mune-
re cum laude & ad plausum est defunctus ; deinde addente
stiinulos Præceptore , gloriæ ulterioris , licito & lau-
dando